

perpetuum non minus tuorum officiorum in nos, quam grati animi erga te nostri documentum præstandum, et futuris quoque ætatibus relinquendum. Accipe itaque hoc quaecunque munusculum nostrum: quod si minus dignum videtur amplitudine tua, ipsam tamen ejus tenuitatem, ut speramus, humanitatis erga nos tuæ magnitudo sublevabit. Te postremo rogatum volumus, ut, si nos eam tibi, quam debemus et possumus, hujus editionis nuncupatione præstare observantiam perspicias; tu nos eo, quo jamdiu instituisti, favore ac patrocínio prosequi ne desinas.

PRÆFATIO IN EDITIONEM OPERUM RATHERII

I. [1] Post editionem operum duorum episcoporum Veronensium, nimirum S. Zenonis, qui quarto, et Joannis Matthæi Giberti, qui sexto decimo sæculo floruit, nostras curas et cogitationes rapuit collectio et editio Operum Ratherii nostri item Veronensis episcopi, qui etsi decimo sæculo, omnium corruptissimo et obscurissimo, vixerit, ita tamen probitate morum, disciplinæ zelo, studiis litterarum omnique scientiarum genere claruit, ut inter ejusdem sæculi scriptores celeberrimus et laudatissimus sit. Quantum hoc tempore grassata fuerint vitia, quantum ignorantia mentes hominum occuparit, nolissimum est. Hinc non pauci heterodoxi occasionem sumpserunt insultandi Ecclesiæ, ac si per offusas hujus sæculi tenebras ecclesiastica disciplina maxime fuerit corrupta, et antiqua fidei puritas defecerit: cum nemo, inquit, grassantibus undique malis, occurreret ignorantia scilicet et effreni licentiæ. Quod præjudicium Ecclesiæ injuriosum ut refellatur, etsi negari non possit, hoc sæculo inter crassissimas ignorantia tenebras mores fuisse corruptissimos; probari tamen potest non omnia ita tunc fuisse depravata, ut defuerint in Ecclesia viri et morum sanctitate, et doctrina præstantes, qui vitiiis debacchantibus obviam irent, et puram fidei doctrinam ab antiquis acceptam integram custodierint atque tradiderint. Hac de causa auctores hujus sæculi ecclesiasticos in lucem proferre, eorumque gesta et opera accurate illustrare publicæ rei maxime expedit. Cum vero Ratherius inter hos præcipue floruerit, plurimum laudis debemus iis qui quædam ipsius opuscula e bibliothecis in quibus latebant excerpta edidere. Nunc vero ea quæ hic et illic separatim impressa atque dispersa sunt, in unum corpus colligere, et quæcunque alia inveniri possint nondum edita addere; omnia autem auctoris Vita et notationibus illustrare, ut nobis faciendum sumpsimus, majori multo utilitati futurum, et a studiosis viris probatum iri confidimus.

§ I.

De celebritate auctoris, ac de Operum ejus utilitate atque præstantia.

II. De Ratherii moribus ac severiore vitæ ratione, quæ ad scriptoris ecclesiastici nomen auctoritatemque commendandam plurimum confert, in ejus Vita post hanc præfationem subjicienda erit sermo. De

ipsius autem celebritate ob insignem doctrinam, qua maxime nobilitatus est, in præsentiarum agendum. Testes proferemus ejusdem ævi scriptores, qui vulgatæ opinionis ac famæ fidem faciunt, ut ne opus sit testimonio posteriorum, qui eadem ab illis hausta repetunt. Audiendus in primis Everaclus, Leodicensis episcopus, qui in epistola ad nostrum Ratherium, ipsum his verbis alloquitur: « Quis est vobis aut sapientia, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo laudis genere præstantior? » Nec absimiliter duo coevi quoque auctores, Rotgerus in vita S. Brunonis archiepiscopi Coloniensis, num. 34, et Fulcuinus de Gestis abbatum Lobienensium [III], cap. 23. iisdem omnino verbis, quæ alter ab altero mutuatus est: « Propter abundantem doctrinam et eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eisdem solum Ecclesiæ cui præfuit, sed et multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum est. » Liutprandus diaconus Ticinensis, postea vero Cremonensis episcopus, Ratherio item synchronus, lib. III Hist., cap. 11: « Venerat autem (in Italiam) cum præfato Hilduino monachus quidam, Ratherius nomine, qui ob religionem septemque liberalium artium peritiam Veronæ episcopus constituitur. » Hinc factum est ut vulgo appellaretur *litteratus* (*Itiner.* n. 2), seu, ut alibi traditur (*Discord.* n. 7 et *Phrenes.* n. 11), *toto sæculo*, id est ubique, ejus *sapientia prædicaretur*.

III. Ne vero hæc gloriosus dicta credantur quam verius, animadvertendum est eum a pueris sese totum litterarum studiis devovisse. Non solum auctoribus sacris studium impendit, verum etiam profanis historicis, oratoribus, poetis, atque philosophis. Hac de causa quæstiones aliquot ipsi propositæ fuerunt primum a Mediolanensibus, deinde a Roberto archiepiscopo Trevirensi, quæ ex profanis auctoribus dirimendæ erant, ut ex epistola ad ipsum Robertum exploratè didicimus. Eamdem in antiquis profanis scriptoribus peritiam opera quæ supersunt satis demonstrant, cum non solum eos identidem alleget, verum etiam sæpius absque ipsorum mentione versus et sententias inserat, eorumque veluti lingua ac formulis utatur. Huic autem studio vacavit ante episcopatum. « Infulatus vero (inquit in laudata ad Robertum epistola), illud statim desii

agere, injunctum mihi hoc officio cogitans, in Dei potius lege die ac nocte meditari debere. » Quare ad sacrarum Scripturarum, ad sanctorum Patrum et canonum studium se totum convertit, profanaque eruditio qua ditatus erat, uti Israelitæ ex Ægyptiorum spoliis profecerant, tanto ipsi utilior fuit quanto eam in meliorem usum tra-

IV. Mirum vero dictu est quantus in lectione esset, adeo ut de eo dici possit verissime antiquos scriptores nocturna versasse manu, versasse diurna. Hinc critici ejus consores id ipsi vitio dabant in *Qualitatis conjectura*, num. 2: *Nasum semper tenet in libro*; et num. 5: *Quo [iv] citius valet, diversorium repetit, librum receptat... Solus, si liceret, tota die sederet, libros versaret vel reversaret*. Quæcunque autem legeret, adeo retinebat memoria, ut prolixissimos textus iisdem verbis in sua opera identidem inseruerit sine ipsorum librorum subsidio. Id nobis manifeste patuit ex libris præsertim Præloquiorum. Etsi enim hoc eximium et valde prolixum opus lucubravit eo tempore quo in carcere Papiensi inclusus libris carebat, nihil tamen in eo nisi ex dictis et doctrina Scripturarum potiesimum ac sanctorum Patrum explicare voluit; et integra nonnunquam capita ex istis memoriter excerpta descripsit. Hæc autem nos conferentes cum ipsis Patrum libris, mirati sumus etiam atque etiam vehementer, verba plerumque respondere verbis, ac si ex codice ea transcripsisset. Fatemur vero aliquando, sed rarius, nonnullas voces aliquantulum variare retento sensu: quod tamen eum non ex libro, sed e memoria textum eruisse confirmat. In illis quidem carceris angustiis, ac in ea præsertim librorum privatione, quam loco allegato semel iterumque testatur, etsi fieri forsitan potuisset ut unum vel alterum librum ab aliquo commodatum acciperet; idem tamen de tam multis tot auctorum voluminibus, quorum recitat verba, intelligi penitus nequit.

V. Qui non prima tantum ætate, sed ad decrepitam usque tam sedulam lectioni operam dedit, ea quæ tam sedulo legerat, ob felicitatem memoriæ, quotiescunque opus esset, semper habebat in promptu. De sacrarum librorum atque sanctorum Patrum usu nihil opus est dicere, cum frequentissima ipsorum testimonia quibus ejus opera referta sunt, apertissime prodant; adeo ut ambigere liceat num alius quivis hujus ævi scriptor hac in parte RATHERIO præstet, aut cum RATHERIO comparari queat. Neque minus versatus agnoscitur in studio canonum. Quo magis eos sua ætate neglectos videbat, hominesque sine ulla formidine atque scrupulo ipsorum præceptis contraire, eo magis eorum meditatione delectatus nitebatur, ut ipsorum observantiam cultumque restitueret. Huc plura ejus [v] opera ex proposito diriguntur. Quod si apocryphos quandoque canones aut Romanorum pontificum constitutiones supposititias laudat, ut cæteri tum solebant, id conditioni ejus temporis, quod peritio-

ris critices arte carebat, tribuendum et condonandum est.

VI. Episcopus tanto sacrarum Scripturarum, Patrum et canonum studio usuque imbutus, doctrinam ac disciplinam valde puram iisdemque fontibus congruentem profitebatur. Occurrunt identidem in ejus operibus catholica dogmata, eademque traditionis sæculi decimi perillustria testimonia suppeditant. Præclara in primis sunt illa quæ de reali præsentia corporis et sanguinis Domini in Eucharistiæ sacramento duobus præsertim in opusculis (*epist. 1 et Confess.*) late constituit, adeo ut ejus dogmatis traditio maxime comprobetur ex eo ipso scriptore, qui a nonnullis heterodoxis horum operum ignaris in sui erroris patrocinium traducebatur. Non pauca de libertate arbitrii, de necessitate et efficacia divinæ gratiæ, ac de peccato originali in Augustini plane sententiam multis in locis inspexit. Nonnulla de cultu et invocatione sanctorum, de traditionis necessitate et usu, de insolubili matrimonii vinculo, de peccatorum mortalium et venialium discrimine, de confessione, de cœlibatu sacrarum ministrorum, de purgatorio, de suffragiis pro animabus defunctorum, de æternitate pœnarum in inferno, ac de aliis catholicis dogmatibus occurrunt. In Præloquiorum libris quiddam circa religionis mysteria tradit (*lib. III in fin.*), symboli sancto Athanasio inscripti, et sancti Augustini doctrinæ consentaneum exhibet. Adeo vero sanam Ecclesiæ doctrinam præfert, ut eos acriter impugnet, qui illam aliquot erroribus infuscare aut impetere nisi sunt. Duo autem ejusmodi errores decimo sæculo exorti, vel renati, et naviter a RATHERIO perstricti, commemorandi sunt: alter cujusdam, qui sanctos in cœlo gaudere quidem fatebatur, cum Christo vero nec regnare, nec regnatos contendebat: alter nonnullorum, qui in hisce partibus, ob ignorantiam potius quam ob malitiam, veterem Anthropomorphytarum [vi] hæresim propugnabant. Vide librum quartum Præloquiorum, num. 45, et sermonem de Quadragesima secundum, num. 29 et seqq. Cum Dei cultum purum expeteret, in nonnullas superstitiones quæ serpebant invehere non destitit. Multa addi possent de iis quæ ad notitiam confuerunt morum hujus temporis et disciplinæ. Insignes hoc in genere inter cæteros sunt memorati Præloquiorum libri. Sic enim in ipsis cujusque ætatis, sexus et conditionis homines instruit, ut singulorum vitia detegat et officia præscribat. Plures alii libri cleri reformationem respiciunt, adeo ut ex nullo alio magis quam ex nostro scriptore decimi, sæculi disciplina erui possit. Illud etiam accedit quod Veronensium rerum historia ejusdem decimi sæculi ex alio fonte derivari nequeat, ut marchio Scipio Maffei rectissime monuit.

§ II.

De RATHERII operibus antea vulgatis, et de editionibus, quibus inveniuntur sparsim inserta. De ineditis quæ hac in editione accedent. De operibus quæ adhuc desiderantur, nec non de aliis RATHERIO attributis.

VII. Non pauca quidem nostri scriptoris opera an-

tea vulgata fuere, sed separatim in varias collectiones inserta atque dispersa; quod quanti incommodi sit nemo non videt. S. Ursmari Vita, quam ab Ansonē abbate obscurius scriptam Ratherius explicatiorem reddidit, primum prodiit opera Laurentii Suri in Vitis Sanctorum mensis Aprilis.

VIII. Joannes Chapeauvillius tomo primo Gestorum pontificum Tungrensium anno 1613 e ms. codice monasterii Lobiensis in Belgio tres Ratherii epistolae vulgavit: unam ad Joannem summum pontificem, alteram ad omnes Italiae, Germaniae et Galliae episcopos, ad Brunonem postea archiepiscopum Coloniensem tertiam; addiditque aliam Everacli episcopi Leodicensis ad ipsum Ratherium.

IX. Dein P. Lucas d'Achery, qui e diversis ms. exemplaribus [vii] plura opera inedita diligentissime excerpit, et in Spicilegio edidit, Laudunensem codicem nactus in Galliis, qui aliquot Ratherii opuscula nondum impressa continebat, hæc ex eodem produxit in lucem tomo ejusdem Spicilegii prioris editionis secundo, quæ his titulis inscribuntur.

- De contemptu canonum partes duæ.
- Conclusio deliberativa Leodici acta.
- Qualitatis conjectura.
- Discordia inter Ratherium et clericos.
- Apologeticus liber.
- De clericis rebellibus.
- Ex abbatiola Magonziani amandatis monachis clerici subrogantur.
- De nuptiis cujusdam illicito.
- Epistola ad Martinum.
- Alia ad Romanam Ecclesiam.
- Synodica ad presbyteros, etc.
- Itinerarium Ratherii Romam euntis.
- Sermo valde prolixus de Quadragesima.
- Contra reprehensores ejusdem sermonis.
- Sermo secundus de Quadragesima.
- Sermones de Pascha I et II.
- Alius de Octavis Paschæ.
- Alius post Pascha.
- De Ascensione duo.

Hæc ex uno Laudunensi codice P. Lucæ d'Achery præsto fuerunt. Intersevit autem eodem in tomo tres alias epistolas a Chapeauvillio vulgatas, quas non ex Laudunensi codice, sed ex ipsius Chapeauvillii editione ipsum sumpsisse deteximus; cum easdem lectiones, eosdem errores ac lacunas easdem præferant. Secundo tomo jam impresso, sed nondum edito, alia Ratherii opuscula Caroli Boesmani sumptu e Lobiensibus manuscriptis transcripta idem Acherius accepit, quæ tomo tertio sese editurum in ejusdem tomi secundi præfatione pollicitus est. Quænam vero hæc opuscula sint, in elencho ipsius secundi tomi his verbis [viii] exponit: « Alia sunt Ratherii opuscula inedita, scilicet sermones duo de Pentecoste, de Maria et Martha, de proprio lapsu (videndum num hic diversus sit ab eo quem edidimus inter sermones de Pascha), de otioso sermone, Præterea Meditationes cordis in exilio cujusdam

A Ratherii Veronensis quidem Ecclesiæ episcopi, sed Lobiensis monachi, quas in sex digestas libellis volumen censuit appellari Præloquiorum, eo quod quoddam præloquantur opusculum, quod vocatur Agonisticum; Epistolæ duæ; liber De corpore et sanguine Domini constans nonaginta novem capitulis.» Hæc cum scripsit in elencho, ipsa profecto opuscula vel nondum acceperat, vel non expenderat; quæ si legisset, opusculum *De proprio lapsu* diversum esse a sermonibus *De Paschate* perspicue deprehendisset. Librum *De corpore et sanguine Domini* Ratherio perperam attributum paulo post demonstrabimus, Nihil porro ex his quæ Acherius tomo tertio imprimenda promiserat, eodem tomo typis dedit. Unam tantum Ratherii epistolam ad Patricum produxit tomo duodecimo. In novissima autem et emendatiori ejusdem Spicilegii Acheriani editione Parisiensi anni 1723, ea quæ Acherius secundo et duodecimo tomo ediderat, novis et diligentioribus curis Ludovicus Franciscus Joseph de la Barre rursum producens, alia emendare, alia illustrare studuit: eaque recusa leguntur tomo primo, pag. 345 et seqq.

X. Bartholomæus Campagnola, archipresbyter S. Cæcilie, dum anno 1728 Veronæ impressit librum *Juris civilis urbis Veronæ*, addidit in fine Ratherii opusculum, seu potius fragmentum opusculi *De vita et translatione S. Metronis*, nec non epistolam ejusdem Ratherii cum alterius epistolæ fragmento ad Manassem, ut putavit (*legendum ad Milonem*), episcopum, quæ ipsius auctoris manu exarata in duobus nostræ capitularis bibliothecæ codicibus reperit.

C XI. P. Bernardus Pez in Dissertatione isagogica tomo I Thesauri Anecdotorum præmissa, mentionem fecerat antiqui libri capituli Frisingensis in Bavaria, qui non pauca nostri scriptoris opera et epistolas exhibet. Idem vero quædam tantum exinde excerpit, et anno 1729 publici juris fecit tom. VI Thesauri, cui volumini [ix] etiam separatim vulgato *Codicis diplomatico-historico-epistolaris* epigraphem indidit. Quæ autem edidit hæc sunt:

Ad ecclesiæ suæ clericos, de iis qui a sedis suæ invasore ordinati sunt.

Epistolæ ad Ambrosium, ad Adeleidem Augustam, et ad Nannonem.

Testamentum, et fundatio atque dotatio clericorum ecclesiæ Veronensis, quam *Judicati* titulo in nostra hac editione donaturi sumus.

XII. Lobiensium manuscriptorum apographum, quod ad Acherium missum indicavimus num. 9, in Sangermanensi bibliotheca ab eodem relictum, Patribus Edmundo Materne et Ursino Durando usui fuit. Ex ipso enim illi tomo IX *Amplissimæ veterum scriptorum et monumentorum Collectionis* an. 1733 ediderunt ejusdem Ratherii sex Præloquiorum libros ac epistolas tres, unam Widoni ac Sobboni archiepiscopis, etc., alteram Rotberto item archiepiscopo, ac ad omnes fideles tertiam. Eodem præterea tomo in calce operis Paschasii Ratberti *De corpore et san-*

guine Domini typis dedere quoddam additamentum ex manuscripto Lobiensi, quod a nostro auctore, ut nobis quidem videtur, lucubratur, in editione Operum ipsius haud omittendum credidimus. Ratherii itaque Opera, hactenus separatim impressa, sex aut potius septem editorum diligentia prodierunt; ex quo fit ut tanti viri studiosis opus sit sex diversi generis editiones sibi comparare atque consulere. Hinc collectionis omnium ejusmodi operum utilitas, ne dicamus necessitas, facile perspicitur; cum præsertim accidere soleat ut ex uno opere alterius indulgentia pendeat, ac ex collatione omnium quanti sit auctor æstimetur.

XIII. Cum porro in collectione et editione operum cujusque auctoris non tam desiderentur antea edita et in variis voluminibus dispersa quam quæ nondum impressa fuerunt, alia atque alia Ratherii opera, si quæ aliorum diligentia effugerint, inquirenda censuimus. [x] Igitur de ipsius auctoris codicibus solliciti, in quatuor tantum bibliothecis manuscriptos libros, qui aliqua Ratherii opuscula continerent, inveniri nobis innotuit. Unus custoditur inter codices Laudunensium Ecclesiæ, de quo hæc Acherius in præfatione tradidit: « Cæterum de codice Ratherianorum operum, Anselmi decani tempestate eleganter exarato, sed mendis plurimis fœdato, qui olim e bibliotheca B. Mariæ Laudunensis fuerat subreptus, ac tandem restitutus, gratias ago cl. V. Antonio Belotte. » Cum Ratherius post dimissum Veronensem episcopatum Lauduni fuerit, ibidemque aliquandiu immoratus, die S. Stephani sermonem habuerit in capitulo monialium (*Præloq.* l. v, c. ult.); hoc forte tempore idem codex ex ipsius auctoris autographo a minus perito librario non sine mendis exscriptus fuit. Quæcunque opera in hoc ms. exemplo continentur, post tertiam Ratherii restitutionem in suam Veronensem cathedram lucubrata deprehendimus. Nihil in hoc exemplo invenitur quod ab Acherio editum non fuerit.

XIV. Ad idem quoque tempus pertinent omnia quæ in ms. libro Frisingensi describuntur. Hunc, quem septingentorum annorum esse testatur P. Pez, Joseph Frisingellus presbyter Roboretanus, optimarum litterarum studiosissimus, dum Frisingæ apud amicum suum hospitaretur, eodem adjutore, prout brevi spatio licuit, celebriter exscribendum curavit. Ex hoc autem apographo, quod nobis præsto fuit, cognovimus, pleraque sane quæ in Frisingensi continentur, edita fuisse partim ab Acherio, qui eadem in ms. Laudunensi nactus fuerat, partim a laudato P. Pez. At quinque opuscula, quæ nondum in lucem prodierant, ibidem invenimus, nimirum *Decretum de clericis ab invasore ordinatis*, duos tractatus *De proprio lapsu*, et *De sermone otioso*; ac sermones duos, unum *De Pentecoste*, alium *De Maria et Martha*. Cum porro ex P. Bernardo Pez didicerimus in laudato codice reperiri etiam opusculum *De translatione corporis S. Metronis*, cujus fragmentum tantummodo, ut monuimus, Bartholomæus Campagnola

A ex Veronensis capituli exemplo vulgaverat; Frisingellus autem, nescimus quo cusu [xi], in codice Frisingensi haudquaquam invenerit, solumque titulum in apographo exhibuerit; nos sperantes fore ut integrum ibidem reperiri posset opusculum, egimus cum nobilissimo patricio nostro comite Joanne Baptista de Veritate, qui e serenissimæ Bavaricæ familiæ aula Veronam digressus, in eandem aulam erat rediturus, et ab eodem petivimus efficeret ut ipsum codicem diligentiori cura quispiam peritus evolveret. expetiturque opus, si inveniretur, exscriberet. Virum nacti sumus litterarum studiosissimum, qui cum hanc Ratherii editionem maxime probaret, tum vero eidem omnem opem præstaturus, Francisco de Werdenstein episcopo Tenariensi, ac eminentissimi Frisingensis episcopi suffraganeo, amicissimo suo, optimorumque studiorum amantissimo id negotii commendavit, in quod cum is omnem diligentiam contulisset, opusculum integrum et accurate transcriptum accepimus. Aliud quiddam in eodem codice animadvertendum. Post Ratherii opera pagina alba relicta, hic tantum titulus præfertur; *Prædicationes in quibusdam festis*. Aliquot autem sermones subjiciuntur, qui ex S. Gregorii verbis hinc inde excerptis compacti, a Ratheriano stylo et consuetudine alienissimi sunt, In his unus est de sanotis Firmo et Rustico, ex S. Gregorio similiter concinnatus, quem exempli gratia in Appennice edemus. Videsis Admonitionem eidem sermone præfixam.

XV. In mss. codicibus capituli Veronensis Ecclesiæ, in qua Rathorius pleraque opuscula scripsit, mirum dictu! præter ea pauca quæ vulgavit Bartholomæus Campagnola, nihil reperire licuit. Sed ille tertio Verona decedens, huc amplius non reversurus, sua opera secum videtur detulisse.

XVI. Cum vero in suum Lobiense cœnobium, in quo monasticam vitam professus fuerat, sese aliquando receperit, pleraque ipsius opera in ejusdem monasterii codicibus inventum iri sperabamus, ex quibus potissimum eorumdem operum mentionem faciunt Fulcuinus abbas Lobiensis, Anselmus canonicus Leodiensis, Sigebertus Gemblacensis et Ægidius de Leodio [xii]. Hac spe illectus marchio Scipio Maffei, qui hanc Ratherianorum Operum collectionem maxime expetebat, eruditum iter Belgicum agens, a reverendissimo Theodulfo abbate, quem Laubii frustra quæsitum Bruxellis reperit, etiam atque etiam petiit ut Ratherianorum codicum sui cœnobii accuratam notitiam Veronam transmitteret. Maffei autem Veronam reverso, cum in editorum exemplum præcipue desideraretur vulgatorum et eorum quæ ex Frisingensi codice nondum vulgata habebamus in manibus, indicem ad eundem abbatem misimus, ut, cognitis quæ nobis præsto erant, ea quæ deessent facili negotio discerni possent, eademque ut diligenter transcriberentur postulavimus. Verum cum incendium olim hoc celebre monasterium vastasset, plures codices consumpti: ac

proinde pauci admodum Minoritæ cujusdam diligentia e flammis subducti supersunt, ut Antonius Sanderus tradidit (*Biblioth. Belgic.*, pag. 293). Plura ille transcripta misit, inter quæ duo tantum Ratherii opera nondum vulgata exhibuit, nimirum sermonem *De cæna Domini*, et librum *Confessionis* ejusdem Ratherii : cætera vero, quæ simul accepimus, etsi antea edita, emendandis tamen aliquot locis profuerunt.

XVII. Hac vero diligentia non contenti, cum laudato comite Joanne Baptista de Veritate egimus ut reverendissimum abbatem Paulum du Bois, qui Theodulfo memorato successit, ad novum et diligentius Lobiensium codicum examen per litteras excitaret. Annuit idem abbas, et post exactiorem inquisitionem rescripsit tria nunc manuscripta exemplaria in ea bibliotheca reperiri, quæ aliqua Ratherii opera continent. Unum in folio, ex quo sub Theodulfo abbate exscriptus fuit indicatus sermo *De cæna Domini*. Iste autem codex ille est qui plura continet sanctorum martyrum acta, et alia nonnulla ad Veronam pertinentia : cumque is Ratherii manu scriptus crederetur, non defuerunt qui Ratherium quorundam etiam actorum suspicarentur auctorem. Nos vero etsi ipsum codicem inspicere, characteremque cum Ratheriano, qui in aliquibus capituli Veronensis exemplis certus (xiii) Ratherii character est, conferre nequivimus ; eum tamen manu ipsius episcopi exaratum haudquaquam putamus. Acta certe sanctorum Firmi et Rustici, et nonnulla alia quæ ad Veronam spectant, non Ratherium, sed alios atque alios habent auctores. Etenim illa acta in aliis quoque Ratherio vetustioribus codicibus reperiuntur. S. Zenonis Veronensis episcopi Vita a Coronato notario, qui Ratherium duobus saltem sæculis præcessit, scripta fuit. Idem dicendum de rhythmo qui Veronæ laudes præfert ; ab anonymo enim, qui Pipini Italiæ regis ætate vixit, lucubratus fuit. ejusdem generis et ætatis esse videtur iconographia ejusdem urbis, quæ ipsi rhythmo subjicitur, et a Joan. Baptista Biancolino ex eodem codice nuperrime edita est (*De vescovi e governatori di Verona*, pag. 55). Similiter opuscula et acta hujus generis alia vel ex ipso stylo a Ratherio aliena, et in aliis antiquis exemplis inventa, atque etiam typis impressa, amanuensem Ratherio supparem referunt, cui cum Ratherii sermone *De Cæna Domini* quædam Veronensia documenta a Ratherio forsitan Verona Laubium allata contigit reperire, hæcque una cum aliis aliorum opusculis Vitisque sanctorum in codice describere placuit. Secundus codex formæ minoris in quarto sex prolixiores Ratherii libros complectitur inscriptos *Meditationes cordis*, etc., seu *Præloquia*, cum duabus epistolis, una ad Widonem et Sobbonem. altera ad Rotbertum. quæ omnia ex apographo ad Acherium misso PP. Martene et Durandus publici juris fecisse observavimus. Librum tandem *Confessionis*, a reverendissimo abbate Theodulfo acceptum, conservatum deteximus in tertio codice, qui item epi-

stolas Ratherii continet, quas Chapeauvillius vulgavit, nec non illam ad Patricum ab Acherio editam, et aliam ad omnes fideles, quam ex hoc eodem codice PP. Martene et Durandus impressere. Hic porro codex præter ineditum librum *Confessionis*, reverendissimi Patris abbatis Pauli du Bois diligentia, aliud ineditum opusculum suppeditavit, nimirum *Phrenesim*, quæ olim a Fulcuino, postea vero ab Antonio Sandero laudata (*Biblioth. Belgic.*, p. 303), in desiderio erat. Ex hactenus dictis novem esse [xiv] Ratherii opuscula, quæ in hac collectione primum lucem aspicient, exploratum est.

XVIII. Alia vero quorum aliquam apud scriptores mentionem invenimus, quacunque diligentia adhibita nullibi reperire licuit. Horum autem recensio in hac præfatione haud omittenda est. Ipse Ratherius in epist. 3, ad Rotbertum archiepiscopum, num. 1, opusculum memorat abs se scriptum antequam episcopus fieret, quo Mediolanensium quætiunculis responditiis plane similibus quas Rotbertus proposuerat. Has ad profana studia pertinuisse, queis post episcopatum renuntiaverat, colligere licebit ex eadem epistola, in quam vide notationes quartam et quintam. *Aliud volumen* laudat libro sexto Præloquiorum, cap. 7, in quod cujusdam philosophi sententiam inseruerat. Hoc autem num idem sit cum præcedenti, an distinctum et æque deperditum, non liquet. De voluminibus duodecim quæ auctor memorat in præmio ad Phrenesim, vide quæ fusius animadvertemus in Vita ejusdem, § 10, num. 61.

XIX. Fulcuinus de Gestis abbatum Lobiensium, cap. 20, Ratherii opus *De arte grammatica Sparadorsum* inscriptum itemque deperditum commemorat, cujus scribendi locum et occasionem refert his verbis : « Cum in ea parte Burgundiæ quæ Provincia dicitur mansitaret, filium cujusdam viri ditissimi nomine Roestangum ad imbuendum litteris postulatus recepit ; ad quem librum de arte grammatica conscripsit, quem librum gentilitio loquendi more *Sparadorsum* vocavit. pro eo quod qui scholis assuesceret puerulus, dorsum a flagris servare posset. » Apud Acherium habetur *Sparadorsum* Melius Valerius Andreas in Bibliotheca mss. Belgii tom. 1, pag. 303, et Aubertus Miræus in scholiis ad caput 127 Sigeberti in Fulcuini codice legerunt *Sparadorsum* a voce antiqua Germanica *sparen*, quæ significat *parcere*, Italis *risparmiare*, ut monuit Muratorius tom. II *Antiq. Italic.*, col. 1281. Hoc vero opus scriptum fuisse aliquando post annum 940, quo auctor ab exilio Comensi solutus in Provinciam successit, patebit ex dicendis in Vita ejusdem, § 6.

XX. *Chronographium Ratherii*, quæ tum se, tum alios perstringens [xv], intactum deseruit neminem, ipse auctor duobus in operibus allegat, videlicet in Qualitatis conjectura num. 2, et in itinerario num. 8. Aubertus Miræus hujus Chronographiæ exemplum in codicibus bibliothecæ Gemblacensis se vidisse tradit in scholiis ad caput 127 Sigeberti De viris

illustribus. Verum ea quoque bibliotheca incendio consumpta hujus exempli desiderium reliquit. In itinere quidem litterario quod a duobus monachis S. Mauri habitum, Parisiis editum est anno 1717, cum post mentionem ejus incendii quod triginta ante annos eam bibliothecam absumpserat, quædam Ratherii opera ex eo erepta tradantur part. II, pag. 262, ne cui diligentiae parceremus, Gemblacensis cœnobii œconomum rogandum curavimus ut videret num hæc forte Chronographia inter codices e flammis sublatis reperiretur. Respondit vero die 20 Martii anni 1761 nihil ejusmodi inveniri potuisse. Quidam suspicati sunt hanc Ratherii Chronographiam esse fortassis eam *Invectivam*, cujus prima periodus *chronographum* nominat. Sed ii unum *Invectivæ* titulum, et primæ periodi prima verba apud P. Bernardum Pez viderunt. Qui autem ipsum *Invectivæ* opusculum leget, quod integrum nunc edetur, hoc de S. Matrone ac de ejus corpore, Veronensibus, ut credebatur, subrepto, agere intelliget, quod ab indicta Chronographiæ Ratherianæ materie atque ratione maxime discrepat. Confer quæ de hoc opere addemus in notis ad Qualitatis conjecturam.

XXI. Extremo Veronensis episcopatus tempore, seu anno 968, Ratherius multis exagitatus molestiis, cum ad episcopatum dimittendum et ad monasticam vitam repetendam sese vehementius exstimulatum sentiret, librum direxit ad Fulcuinum abbatem Lobiensem, quem « prætitulavit *Conflictus duorum*, pro eo quod in eodem disputans, utrum revertetur necne, anxius fluctuaret (*Fulcuin. de Gest. ab Lob.*, c. 28). » Neque hunc librum usquam invenire potuimus.

XXII. Ex epistolis Ratherii quarum aliqua mentio est duæ desiderantur, una ad Frodoardum Remensem, qua ad ipsum misit Præloquiorum libros, ut laudatus Fulcuinus tradit c. 20, altera ad Everaclum episcopum [xvi] Leodicensem, cujus hic in responsione inter epistolas afferenda loco ultimo meminit. Inter ea inedita Ratherii opuscula quæ P. Lucas Acherius in elencho tomi secundi commemoravit, nullum nobis defuit nisi unus e duobus sermonibus de Pentecoste, quem frustra in mss. Lobiensibus, e quibus omnia ea opuscula videtur accepisse, inquirendum curavimus.

XXIII. « Alia quamplura » eundem scripsisse idem Fulcuinus testatur c. 25. Cum vero is inter ipsius opera quæ singillatim nominat, duodecim ex his quæ nobis præsto sunt, ac plures etiam epistolas quas nacti sumus, silentio præterierit, non solum hæc *complurium* nomine intelligere potuit, verum etiam alia non pauca, quorum memoria temporum vicissitudinibus interierit. Hominem quidem omnium ejus ætatis studiosissimum, qui tota fere vita in libris versatus est, alia multa lucubrasse nihil dubitandum videtur.

XXIV. Sigebertus de Script. eccles. c. 127, ex quo alii idem sumpserunt, Ratherio tribuit librum

A De corpore et sanguine Domini, nec non aliud De prædestinatione Dei. Sed « vereor, inquit Mabillonius, ut Ratramni libros Ratherio imputet (*Act. SS. Ord. Bened. Sæc. V*, in Ratherio, n. 20). » Et jure quidem. Cum enim hæc duo ejusdem argumenti opera Ratramni certa sunt; tum vero nullum de ipsis ut a Ratherio scriptis indicium est apud cœvum scriptorem Fulcuinum, qui in catalogo operum Ratherii alia inferioris notæ ejusdem opusculamemoratur. Esto nonnulla quædam breviora prætermiserit, ea tamen satis complexus vel in epistolis, in quibus una ad Patricum de Eucharistia ex proposito disserit, vel in iis verbis *et alia quamplura*. Nunquid vero ex illis duobus et prolixioribus et insignioribus ne unum quidem attigisset, si Ratherium novisset auctorem? Adde quod Ratherius, quibusdam peculiaribus et abstrusioribus titulis delectabatur, cum duo illi simplices et obvii sint. Sigebertum profecto hac in re errore aliquo abreptum nihil ambigimus. Cum eadem duo opera capite 95 ascripserit Bertramno (sic enim corrupte Ratramnus scribi cœperat), varia fortassis et abbreviata scriptura codicum deceptus [xvii] fuit. Duo illa certa Ratramni opera simul juncta in codicibus descripta inveniuntur, ut in ms. Lobiensi, quem Mabillonius laudat præfatione secunda in Sæculum IV ord. Bened., n. 83. Cum autem codex quem Sigebertus vidit Bertramnum præferret in titulo, ex quo ea opera Bertramno tribuit; in alio vero codice, qui eadem continebat, pro Ratramno scriptum fortassis esset *Rat.*, uti fieri nonnunquam solebat, nihil ille de mendo scripturæ suspicatus in Bertramni nomine, nec de expendendis conferendisve ipsis utriusque codicis operibus cogitans, incaute ex discrimine scripturæ in auctoris nomine designando diversos auctores atque diversa ejusdem argumenti opera credidit; et Ratramnum non agnoscens, *Rat.* litteras de Ratherio sibi aliunde cognito, qui in utroque argumento æque ac Bertramnus laboravit, interpretatus videtur.

XXV. Erunt fortassis qui existiment Sigeberto suffragari cum codicem ex quo Acherius in memorato elencho tomi secundi inter inedita Ratherii opera retulit librum De corpore et sanguine Domini constantem nonaginta novem capitulis. Hunc sane librum Ratherii nomine inscriptum exhibet ms. codex Lobiensis, cujus indicem Acherius acceperat, cum laudatum elenchum impressit: hujus enim codicis apographum ad nos missum, idem opus Ratherii nomen in titulo præferens, in totidem capita distinguit. Exstat præterea ms. liber Vaticanus reginæ Suecorum, signatus num. 498, in quo describitur, Relatio Ratherii de quodam Dei servo. Hanc autem *relationem*, quæ ineditum ejusdem opusculum videri poterat, deprehendimus esse particulam laudati operis Ratherio ascripti De corpore et sanguine Domini, quæ in memorato Lobiensi apographo refertur c. 60. Nihil itaque dubitari potest quin aliqua mss. exemplaria librum De corpore et sanguine Domini Rathe-

rio vindicarint et vindicent. Nullum vero, quod sciamus, exemplar aliud quoque opus De prædestinatione Dei à Sigeberto memoratum eidem inscribit; ac propterea aliis manuscriptis, quibus utrumque [xviii] opus contineretur, Sigebertum usum arbitramur; erroreque aliquo Ratherio asseruisse quæ Ratramni sunt, probabilius credimus. Quod si illis codicibus qui unius tantum operis De corpore et sanguine Domini Ratherium auctorem exhibent, saltem ex parte usas putetur Sigebertus, id non solum nihil prodesset, sed multo magis obsesset, hallucinationemque ipsius multo evidentius aperiret. Error enim ejusmodi codicum in Ratheri nomine ex ipsa laudati epigraphi Lobiensis lectione nobis manifestissime patuit. Hoc siquidem deteximus esse celebre opus ejusdem argumenti, scriptum non a Ratramno, sed a Paschasio Ratberto, cui quidem ipsum in fine libelli Confessionis asserit idem Ratherius, cum illum suæ Confessionis subjecturus (ut in eodem Lobiensi exemplo subjectum sane legitur) scripsit: « Capitulum quædam excerpta ex opusculis super hoc eisdem Paschasii Ratberti absque invidia tibi, quæso, insinuari permittè. » Opus autem quod ibidem subjicitur est illud ejusdem Ratberti De corpore et sanguine Domini. Id ipsum vero manifestius cuique patebit, si modo legerit accuratissimam Paschasiani operis editionem apud PP. Martenem et Durandum (t. IX *Collect. Vêter. Script.* col. 374), qui in ea procuranda et illustranda inter cæteros codices eodem Lobiensi usi sunt. P. Acherius cum id opus Ratherio tribuit, solum indicem operum ejus codicis acciperat, in quo illud Ratherio per errorem ascribitur. Patres autem Martene et Durandus cum editioni ipsius operis vacarent, Ratberti opus Ratherio perperam inscriptum in titulo, ex ipsa provinciali epistola, nec non ex clausula finali, quæ Paschasium Ratbertum in eodem codice præferunt, mendosumque titulum demonstrat, apertissime deprehenderunt, nihilque dubitarunt de Ratberto auctore, cui illud omnes alii codices tribuunt, et olim etiam adjudicaverat Anonymus, uti vocant, Cellotianus a Ludovico Cellotio primum editus in calce Historiæ Gothescalci, tametsi vel Lobiense exemplum, vel aliud simile præ oculis habuerit: id enim opus ad centum fere capitula prætextum testatur, quam capitula partitionem [xix] in solo Lobiensi manuscripto invenire hactenus licuit. Hoc quidem vel aliud simile manuscriptum Lobiense ab eodem Anonymo inspectum ex eo confirmatur quia verus auctor operis a Cellotio editi fuit Herigerus abbas Lobiensis, Ratherio suppar, uti non conjecturis tantum probavit Mabillonius (*Præf. 2 in Sæc. IV Ord. Bened., n. 47*), verum etiam testimonio codicis Gemblacensis; id ipsumque comprobatur alius codex apud Oudinum, qui tom. II De scriptoribus ecclesiasticis, pag. 486, eundem Anonymi Cellotiani librum se vidisse tradit « sub nomine Herigerii ms. in bibliotheca Signiacensi ordinis Cisterciensis in episcopatu Remensi. » Horum duorum codicum auctoritas præferenda videtur co-

A dici Gottwicensi, ex quo idem opus a Cellotio vulgatum, Gerberti nomine edidit P. Bernardus Pez tomo I *Anecd. part. II, pag. 132.*

XXVI. Hac occasione alius Sigeberti locus expendendus, in quo de hoc Herigero ac de memorato opere scribit: « Congessit etiam adversus Ratbertum complura catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini. » Ita omnes Sigeberti codices, uno Martiniensi, seu S. Martini Lovaniensis, excepto, quem Possevinus laudat *Apparat. sacr. t. I*, ubi pro *adversus Ratbertum* legitur *adversus Ratherium*. Hanc lectionem veriore idem Possevinus existimat; ac propterea Oudinum loco paulo ante laudato, et Albertus Fabricius tom. III *Biblioth. Scriptorum mediæ et infimæ ætatis*, pag. 564, Herigerum scripsisse putant contra Ratherium, quem ex eodem Sigeberto lucubrasset arbitratur librum De corpore et sanguine Domini. At unus Sigeberti codex non est anteponendus cæteris omnibus, qui, ipso Possevino testante, præferunt non *adversus Ratherium*, sed *adversus Ratbertum*; quam lectionem maxime confirmat Fulcuini continuator (Achery, t. II *Spicil.*, p. 774), qui sub finem sæculi undecimi contra *Ratbertum* Herigerum scripsisse similiter prodidit. Quid quod illorum opinio a fulcitur hypothesis, quam inanissimam demonstravimus, Ratherium scilicet exarasse librum De corpore et sanguine Domini. Quod si Herigerus Ratbertum eo in opere laudat et sequitur, id præstat quoad catholicam, quam ille docuit sententiam; [xx] peculiare vero ejus formulas, quæ, cum novæ viderentur, quæstionis occasionem dederunt, aliquot in locis expresso ipsius Ratberti nomine respuit, et *simplicitatis* nomine excusat, ut videre est apud Mabillonium loco laudato, num. 61.

XXVII. Ratheri Expositio in Apocalypsim laudatur a Patre le Long tom. II *Bibliothecæ Sacræ*, pag. 920. Allegat autem Ordinarium Reibacense. Cum vero ejusmodi opus a nemine antiquorum inter ejus opera indicatur, Ratheriusque similibus opusculis in sacram Scripturam non dederit operam, errore aliquo id Ratherio attributum nihil ambigimus.

XXVIII. Trithemius in catalogo operum nostri scriptoris librum ab eo in exilio scriptum refert. Cum porro idem subinde veluti distinctum opus memoret Agonisticon, seu Præloquiorum libros sex, quidam putarunt librum in exilio singulari numero antea indicatum ab Agonistici libris esse distinguendum, et inter deperdita opera recenseri oporteri. Verum libros sex Agonistici in exilio Papiensi scriptos certum est. Hos autem singulari numero librum appellarunt Fulcuinus atque Llutprandus. Ex his Sigebertus in Chronico ad an. 932 librum item nominat: « Papiæ exsiliatur, ubi et librum de suis ærumnis edidit. » Idem vero in opere De script. eccl. c. 127, sex Agonistici libros laudat. Hinc Trithemius, qui ex Sigeberto profecit, librum in exilio

lucubratum, et Agonistici libros sex, qui unum et idem opus sunt, veluti duo distincta opera retulit.

XXIX. Simili hallucinatione lapsum credimus Sigebertum, cum in laudato loco De script. eccl. veluti duo distincta opera refert: « Scripsit librum, quem prætitulavit: *Inefficax, ut sibi visum est, garritus*; » et post pauca: « Scripsit contra hæresim Anthropomorphitarum, » etc. Titulus: *Inefficax, ut sibi visum est, garritus*, a Latherio affixus fuit libello, seu prolixiori sermone, apud nos secundo, de Quadragesima, quem Sigebertus ex ipso titulo inde excerpto præ oculis habuit. Porro in hoc sermone hæresis Anthropomorphitarum latius impugnatur, [xxi] nec aliud quidpiam contra hanc Ratherium scripsisse arbitramur. Fulcuinus, qui nec sermonem prolixum de Quadragesima, nec *Inefficacem garritum* memorat, hunc ob prolixitatem inter tractatus potius, quam inter sermones accensens, libelli appellatione indicavit c. 24, inquit: « Est et ejusdem libellus contra Anthropomorphitas. » Sigebertus autem, qui et Fulcuinum vidit, opus ab *Inefficaci garritu* distinctum his Fulcuini verbis memorari credidisse videtur. Quod si hoc pariter opus Ægidius Leodiensis, Trithemius aliique similiter distinxere, nihil movere debent: omnes enim e Sigeberto ebiberunt.

§ III.

Quid in hac collectione et editione præstitum sit.

XXX. Quæ Ratherii opera antea impressa collegimus, et quæ præterea accedent inedita, ex præcedenti paragrapho liquet. In textu autem emendando multum curæ ac laboris adhibuimus. Desiderabamus codices aliquot ejusdem operis, ut loca vitiata in uno corrigerentur ex aliis, et lacunæ, quæ nonnunquam occurrunt, supplerentur. Sed cum in paucis opusculis duo ad summum codices suppetant, quando potuimus, emendavimus ex codice, in aliis vero ex ingenio, hac tamen cautione ut non inscriteretur in textum emendatio, nisi ubi certa et fere evidens vera lectio suppeteret, anteriori lectione in notis subjecta: ubi autem non omnino de emendatione constaret, hæc apponeretur in notis vel inter uncas in textu.

XXXI. Emendato prout licuit textu duplicem adhuc in ipso difficultatem experti sumus, aliam in rebus, quæ subobscuræ quandoque sunt et ænigmati similes, aliam in depravata interpunctione vulgata, et in perdifficili implexaque auctoris syntaxi. Rerum obscuritatem duo afferunt. Primo quia res aliquot ejus ævi identidem subindicantur ita parce, ut vix indicatæ [xxii] abrumpantur; quæ tunc quidem omnibus satis erant perspectæ et cognitæ, nunc autem nisi eas ex aliis scriptoribus seu documentis liceat explicare, quid sit illud quod tam paucis innuitur, lateat. Scriptores autem rerum sæculi decimi rarissimi sunt, documenta item perrara. Quidquid vero scriptorum aut documentorum ejus temporis ad nos usque pervenit, diligenter evolvimus; et si quid opportunum nacti sumus, loca quæ aliquod congruebat, in subjectis adnotationibus illustrare

studuimus. Secundo, etsi Ratherius mores hominum valde corruptos perstringens nemini parcebat, eam tamen cautionem et moderationem adhibuit, ne virorum præsertim insignium, quorum vitia coarguebat, *vocabula* exprimeret. Propria nomina sæpe omisit, et aliena nonnunquam loco proprium substituit. Quandoque etiam, cum de re sua ageret, se ipsum occultavit, adeo ut, cum de se loquitur, de alio loqui videatur. Confer Admonitionem in libros Præloquiorum, num. 5. Ut hæc ænigmati similia nunc conjecturis, nunc certioribus monumentis explicaremus in notis, non minimo labore utendum fuit.

XXXII. His rerum difficultatibus augendis accessit in vulgatis interpunctio subinde transversa et depravata, quæ nunc sensum perverteret, nunc hiulcum ita relinqueret, ut aliquid deesse videretur: nec aliquando nisi repetita lectione, et diutino examine interpunctionis vitium detegere licuit. Plura hac ratione sanata, quæ desperationem afferebant. Difficillima porro et valde implexa auctoris syntaxis inveniri solet, cum præsertim oratoria quadam facundia uti voluit. Longiores enim periodi, transpositio vocum inusitata, et alia hujusce generis valde incommoda sæpius occurrunt, quæ ut intelligerentur, bis terve aut eo pluries unam eandemque periodum legere et attentius meditari opus fuit. Quæ autem tanto studio et labore assecuti sumus, officii nostri esse duximus ea in notis construere et explicare, ut lectores eadem molestia levarentur.

XXXIII. Chronologia [xxiii] operum Ratherii ob varias hujus vicissitudines adeo difficilis visa est Muratorio, ut dissert. 43 in Antiquit. Italic. medii ævi, tom. III, pag. 831, scripserit: « Tot ærumnis, exsiliis conversionibusque obnoxius fuit Ratherius ut ejus (libri) chronologiam recte consignare non tam facile possis. » De libro loquitur inscripto De contemptu canonum: quod tamen de cæteris æque valet. Enimvero nisi prius auctoris vitam exacte contextam habeas, quæ multis difficultatibus implicita est, nihil confici poterit. Multum itaque studii in digerenda chronologia actorum ac vicissitudinum Ratherii collocandum fuit, ex quo ipsius opera et epistolas in chronologicam seriem disponere liceret. Tempus autem cujusque operis et epistolæ in admonitionibus, vel in prima ipsorum notatione statuetur: quod et in sermonibus, uno excepto, præstare nisi sumus.

XXXIV. Quoad partitionem et distributionem operum in partes tres, id unum monendum, inter epistolas descriptas in secunda parte, tres idcirco non fuisse recensitas, quia operibus primæ partis ab ipso auctore insitæ vel præfixæ, in secunda parte non erant inaniter repetendæ. Prima est Ratherii epistola ad quemdam Ursonem vel Ursum in Papiensi carcere exarata, quæ tota inserta est libro Præloquiorum tertio, num. 25 et sequentibus. Altera est epistola seu potius monitum quoddam brevissimum in epistolæ formam Widoni et Sobboni archiepiscopis cæterisque in concilio residentibus coepiscopis

in scriptum a Ratherio, dum Comi exsularet, quod A invenies libro Præloquiorum quarto, num. 12. Tertiam tandem epistolam ad monachos Lobienses Comi pariter lucubratam reperies ante Vitam sancti Ursmari, cui illam Ratherius prologi loco præfixit.

XXXV. Auctoris tandem Vita, in qua digerenda potissimum laboravimus, ex operibus ipsius auctoris, et ex cœvis aut fere cœvis scriptoribus ac do-

cumentis [xxiv] hinc inde excerpta et compingenda fuit. Id ut ex æquo præstaretur, non pauca valde obscura et implicata non tam sacræ quam profanæ historiæ capita, quæ partim Veronenses, partim Italicas regum, imperatorum, ducum et comitum res attingunt, enucleatius inquirenda, explicanda et statuenda fuere. Hæc sunt potiora quæ præfari et præmonere visum est.

RATHERII

EPISCOPI VERONENSIS

VITA

[xxv] Ratherii episcopi gesta primus exposuit B V. C. Joannes Mabillonius in Actis Sanctorum ordinis Benedictini sæculi decimi. Verum Albertus Fabricius tomo VI Bibliothecæ Scriptorum mediæ et infimæ ætatis scite monuit, « Vitam ejus mereri, ut a viro docto cum cura describatur, perfectis operibus illius, et historicis illorum temporum simul consultis; quia sane multa notatu dignissima in eadem occurrent. Illa enim, quam dedit Mabillonius Sæculo V Benedictino, pro instituto ipsius bona est, sed nondum sufficit ad plenam rerum ad illum spectantium scientiam. » Alii subinde eandem in rem studium contulerunt; sed cum ipsa auctoris gesta quæ in ejus operibus indicantur, multis sint implexa difficultatibus, obscuraque sit temporum ratio, quæ non sine multa omnium non tam editorum quam in editorum operum animadversione et collatione constitui poterat, non exigua in plerisque cæteroque insignibus viris confusio deprehenditur. Diligentior hac in re operam novissime posuit comes Franciscus Florius primicerius archiepiscopalis Ecclesiæ Utinensis. Duæ nimirum dissertationes ejus Italicâ lingua exaratae typis impressæ fuerunt Romæ anno 1751, in quarum altera Ratherii Vitam fusius et in chronologicam seriem digessit, cui idcirco præfixit titulum: *Saggio della Vita de Ratherio vescovo di Verona*. Ubique elucet ampla Scriptoris eruditio, ingenii acumen [xxvi], sanioris critices usus, atque in intelligendis et evolvendis rebus obscurissimis perspicacia. Licet hoc vitæ specimen ex Ratherii operibus aliisque cœvis scriptoribus accuratius et uberius quam antea excerptum, pleraque illius gesta referat, nobis tamen singula opera enucleatius expendentibus, et alia atque alia documenta conferentibus perspectum fuit, ei, qui non merum specimen, sed vitam ex proposito scribendam suscipiat, multa adhuc superesse quæ animadversionem merentur, et nonnulla etiam quæ ex complexu omnium lucem

accipiant, et aliter quam laudato Scriptori visa sunt, explicanda atque constituenda sint. Igitur ab initio exordiamur.

§ 1. — *Ratherii patria et nobilitas. Annus natalis ejusdem conjicitur.*

2. Ratherius, non tam litterarum scientia ac zoecclesiasticæ disciplinæ quam ærumnarum vicissitudinibus celebris, natione Belga in diocesi Leodicensi [al. Leodiensi] natus est. Everaclus Leodicensis episcopus in epistola ad ipsum Ratherium Leodium *nativam ejus patriam* vocat (MARTEN. *Collect. Vet. Script.* t. IV, p. 859). Hinc auctor qui scripsit *Gesta episcoporum Tungrensium, seu Leodiensium, Ratherium genere nostratem* testatur (t. I *Gest. Pont. Tungr.*, p. 173 et 176). Anselmus canonicus Leodiensis, ac Ægidius item Leodiensis apud Chapeauvillium cum *ex nostris partibus oriundum* [xxvii] tradunt. Hac tandem de causa ipse Ratherius in *Conclusionem deliberativam*, num. 8, Leodicenses « *nativæ patriæ populum, et vicinitatis affinitate conjunctum* » appellat; ac se ejusdem Leodicensis *ecclesiæ baptinate filium* profitetur. Notatu digna sunt verba *vicinitatis affinitate conjunctum*, quibus se non in urbe Leodiensi, sed in loco urbi vicino, seu diocesis ortum indicare videtur. Patrem ejus unum fuisse e comitibus ducatus Luxemburgensis, qui ad Leodiensem diocesim pertinebat, nonnulli recentiores tradunt, quod tamen cui fundamento innitatur, ignoramus.

3. Nobilitatem generis astruere videntur illa in proœmio *Phrenesis*, num. 4, quibus non solum *ingenuitas* Ratherio tribuitur, quæ liberum hominem designat, verum etiam talis ingenuitas, *quam antiquitas commendabat*. Antiquitas utique generis, quæ ingenuitatem ornaret, longam majorum non tam ingenuorum quam illustrum seriem innuit, qui ingenuitati nobilitatem adjicerent. Consanguineos quidem illustres sibi fuisse aperte declarat in epistola ad Ursonem, quæ tota inserta est in librum Prælo-